

proficiunt per Dei gratiam, & eunt de v^{ir}-
tute in virtutem.

2. *Qualis sit communio inter sanctos?*
Hęc est respectu tum Christi, tum ipsorum
inter sese. Nam primo cum Christo com-
muniem habemus justitiam, crucem, &
gloriam. Deinde inter nos habemus com-
munia omnia dona salutaria, calamitates,
& bona externa quantum ad vsum licitum.
Habemus enim vnum Deum Patrem crea-
torem, Filium redemptorem, Spiritum san-
ctum sanctificatorem; vnam ecclesiam; v-
nam remissionem peccatorum; vnam re-
surrectionem gloriosam; vnam vitam æter-
nam, &c.

3. *Quodnam sit communionis huius fun-
damentum?* Vnio illa, quam habemus cum
Christo. Vt enim omnis communio fluit
ex aliqua vnione: sic communio illa spiri-
tualis & mystica originem suam trahit ex
simili vnione.

4. *An solum vniti simus Christo?* Etiam
per ipsum vniti sumus cum Patre & Spiritu
sancto.

5. *Qualis sit illa vnio?* Spiritualis & ar-
ctissima.

6. *An etiam inter nos sumus vniti?* Sic
est: nempe per Christum. Sumus enim mē-
bra vnus corporis.

K S 225